Quaestio Medica

Quodlibetariis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum Die Iovis 21 februar. D. Joanne haultin Moderatore Sapientissimo.

Estne aliquod temperamentum εὔκρατον?

Animantium corpora ex quatuor primorum simplicium qualitatibus (quae in duobus sensibilibus coniunctis generationis nostrae principiis manifeste deprehenduntur semine et materno sanguine) non autem ex eorundem substantiis alteratis et pro tota confusis suas qualitates retinentibus, constant, quae quamvis necessariae fuerint ad generationem, tamen dum mutua actione se comminuunt, media quaedam undequaque similis substantia generatur, in qua duntaxat qualitates simplicium continentur, ex quibus aequis gradibus copulatis mixtio exoritur, ex mixtione efficitur quidam et iusta proportio, quod temperamentum nominatur totius mixtionis finis et perfectio, quod quidem ratione saltem si non re a mixtione diversum, cum sit quasi quidam mixturae modus, illiusque quodam modo propago et soboles a nonnullis concentus primarum quatuor qualitatum, atque facultatum naturalium fundamentum est definitum.

Ex hac mixtione secundum vim et rationem graduum primarum qualitatum, aut earundem combinationem novem omnino differentiae temperamentorum reperiuntur: temperata quidem una, quae aut est ad iustitiam, aut ad pondus: non temperatae octo, ex his quatuor simplices, calida, frigida, humida, sicca: totidem compositae, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca, atque non in solis animalibus perfectis, sed et in stirpibus plantisque disquirendae, tum et in earundem partibus quae vario temperamento praeditae quam longissimo a se invicem plerumque distant intervallo, dum pro variis officiis quibus a natura destinatae sunt plus caloris aut frigoris sortiuntur: hinc quae partes albae, quales spermaticae et exangues, frigidae: rubrae calidae: et hae aliae aliis calidiores, cor calidum calido musculo calidius: ex frigidis item nonnullae maiori frigore praeditae, ubi substantia vivi sanguinis destitutis; quaedam siccitiores, ossa cartilaginibus, nec non humidiores ut pulmo, cerebrum: quamvis tamen ex his omnibus dissimilibus inter se conglobatis totius sive εὔκρατον, sive δύσκρατον exurgat temperamentum.

Atque ut omissis aliis perfectissimus homo a natura compositus caeterorum norma et regula esse detineat, transitus qui in eo manifestus eluet quibusdam diversis vitae spatiis temperamentorum praeditas diversitates non obscure demonstrat, dividuntur ea a plerisque in quatuor aetates, ad quas facile reliquae omnes revocantur. In prima quam pueritiam vocant, propter abundantiam utriusque vitae principii, homo calidus humidus nominatur: hanc subsequitur florens, in qua quia calor semen humidum depascitur, calor et siccitas maior deprehenditur, tum virilis, in qua plus siccitatis et frigoris licet observare: postrema senectus, quae quanto mortis vicinior tanto plus in ea principiis nativis contraria abundant. Quae quatuor aetates analogae ad 4 anni tempora non immerito iudicantur; veri, pueritia calida humida; florens calida et sicca aestati; virilis autumno frigido sicco; ultima denique maxime similis hyemi frigidae humidae senectus respondet.

Hinc cum omnis motus naturalis ab extremis contrariis in contraria nisi per gradus quosdam medios fieri possit, et quod prius erat calidum, tandem frigidum, quod humidum ad extremum siccum deveniat, qui potest ab his temperamentis intemperatis transitus fieri nisi per medium aequaliter distans ab omnibus extremis, quale est εὔκρατον ad utrumque mediocre atque omnis excessus expers: ossa infantium ita tenera et mollia ut in quamvis partem facile inflecti possint, cum in senibus exsiccata et ita indurata saepius sensibus dignoscantur ut vix frangi queant: calor benignus qui pueris mitis est et halituosus etiam ad tactum, cum in iisdem senibus in frigus commutatus appareat, aliquod esse tempus debuit in quo cum tantum suae violentiae amisisset quantum introductum erat contrariae, necessario in puncto vere medio consisteretur. Quod inquirenti facile animadvertetur in eo, in quo omnes tum animales, tum naturales facultates inculpatae reperiuntur, qui et sensuum facultatibus et membrorum motibus omnibus excellenter sit praeditus, qui vivido colore inter album et nigrum dubio decoratus, inter glabrum et hirtum, pervigilem et somnolentum medius, in cibis appetendis, et per ventrem eorumque concoquendis, et excernendis, mediocriter se habeat.

Non ergo in genere solum licet assignare aliquod viventis, quod manifeste hoc exquisito temperamento constare dignoscatur, verbi gratia Socratem (quando si aliquod corpus tale esse convincatur, maxime humanum illud esse oportet) sed etiam inter hominis ad iustitiam temperati partes, nonnullas hoc temperamento temperatas. Id autem genus est illius cutis, ut pote omnium extremorum vere media, maximeque ea quae in manu extremos digitos ambit, cum minime eorundem omnium tactilium qualitatum criterion a natura praeparata iustissimo intervallo ab omnibus extremis distare debuerit. Non ea scilicet quae callum eiusmodi contraxit, qualis in remigibus et fossoribus, quae potius ad cartilaginum duritiem, quam ad cutis temperatae ex calido, frigido, humido sicco, naturam accedat. Constat ergo quod tum omnium animalium temperatus perfectissimus sit homo: tum omnium particularum ex quibus constat, cutis quae intra manum est hac εὐκρασίᾳ a natura temperata reperiatur.

Ergo est aliquod temperamentum εὔκρατον.

Asserebat Jacobus Cousinot Parisinus. CIƆ IƆ XCI.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Groult
M. Simon Piètre.
M. Joannes Duret med. et Prof. Reg.
M. Georgius Cornuty.
M. Joannes le Moyne.
M. Stephanus Dufour.
M. Joannes le pesheur
M. Jacobus Maren.
M. Bartholomeus Perdulcis.